2

tus est eos usque dan. et cetera. Expeditos dixit iuvenes ad bellum
promptos. et quinque fuerunt uxorati. de quibus in sequentibus dicit. Ex
ceptis his quae comederunt iuvenes. Reduxitque omnem substan
tiam. et loth fratrem suum cum substantia illius. mulieres quoque
et populum. Mystice quid quattuor reges quinque reges supera
verant. possunt contrarias potestates significare. quae carnales
quinque sensibus corporis abutentes vitiis vincunt. ac in dominium
suum redigunt. Nam amraphel qui interpretatur dixit ut caderet. Rex
est sennaar. quae excussio dentium vel fetor eorum interpretatur. potest
hereses significare. quae ad certum casum tendens verbis doloris sensum
fetidum evomit. Arioch autem qui interpretatur ebrius vel ebrietas. typice de
signat gentilium stultitiam. qui iniquitate debrii ceco corde creaturam
pro creatore venerantur. et saeculi in lecebris pompa involvuntur. Chodor
laomor vero qui interpretatur quasi decoris manipulus. Rex est elam
hoc est saeculi vel orbis. ypochrisin non inconvenienter exprimit. quae licet vana
sit et perniciosa. tamen decora superficie in perituro vulgo in praesenti esse videtur.
sed in futuro per adventum veri luminis qualis fuerit apparebit. Porro
thadal qui sciens iugi sive explorator dicitur. Rex est gentium. apte ad
significationem avaritiae transferri potest. quae sagax atque versu
ta multos suo subiugat imperio. Tales ergo vincunt reges. primum
bara qui in malitiam sonat sive creaturam. Rex est sodomorum
hoc est caecitatis sive pecodis silentis. cum eos qui in malitia versuta
perseverant. quatinus more pecodum caecitatem libidinis sequantur per
suadet. Vincunt et bersa hoc est in angustia constitutum. regem
scilicet gomorrae. id est populi timentis ac seditiosi. cum eos qui
praesentium rerum curis angustiantur ac nefas rapinae agere non for
midant obruunt ac prosternunt. Vincunt et sennaab regem ada
mae id est terrenae. cum eos qui carnalia tantum sapiunt. et de
caelestibus non cogitant ut in luxu voluptatum permaneant. exhor
tant. quatenus iuxta illud profetiae acab suis dicant. Comedamus
et bibamus. cras enim moriemur. Vincunt et semeber qui interp

Fragm. lat. 395

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 395, 2r – Hrabanus Maurus, Commentarius in Genesim (https://fragmentarium.ms/view/page/F-co0e/380/5583)